



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè
explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

Resolvtio Dvbitationis De Missis Pro Defvnctis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9521

RESOLVTIO
DVBITATIONIS
DE MISSIS PRO DEFVNCTIS.

An Sacerdos, qui tenetur Missam dicere pro Defunctis,
possit celebrare de Sanctis, aut de Ferijs
occurrentibus.

A. R. P. Magistri F. Pauli Fraxinelli Ordinis Eremitarum
S. August. publici in Patria Bononiensi Vniuersitate
Sac. Theol. Profess. & S. Officij Consultoris.

DECISIO.

*Sacerdos ad dicendam Missam pro Defunctis obligatus, potest celebrare
de Sancto, aut de Feria occurrente: præcipue quando
Festum Sancti est Duplex.*

§. I.



Acrosanctum Sacrificiū
Missæ duobus modis
considerari potest: vel
ex parte Sacrificij, vel ex
parte Sacerdotis.
1 Ex parte Sacrificij,
idest, consecrationis, oblationis, &
sumptionis, seu ex parte representatio-
nis Sacrificij Christi in cruce, quod ap-
pellatur Valor essentialis Missæ ex parte
operis operati: omnes Missæ, siue de
Sancto, siue de Dominica, aut de Fe-
ria, aut de Requiem, sunt æqualis valo-
ris: eum in qualibet earum idem sit Sa-
crificium & Sacramētum. Quomobrem
Sacerdotes, ad celebrandum pro defun-

ctis obligato, æquè satisfieri potest, si di-
ear Missæ de Sancto, vel de Dominica, vel
de Feria, ac si Missæ diceret de Requie.
2 Ex parte autem Sacerdotis celebran-
tis, & verba, ac Orationes in Missæ reci-
tantis; quod appellatur Valor Missæ ac-
cidentalitatis ex parte operis operantis; va-
lor Missæ potest esse æqualis pro defun-
ctis in Missæ de Sancto, aut de Feria, si-
cut in Missæ de Requiem.
3 Nam deuotione Sacerdotis; qui vt plu-
rimum libentius, & inde maiori attētio-
ne, & affectu Missam de Sancto, aut de
Feria celebrat, quàm de Requiem; Ora-
tiones particulares pro defunctis in Mis-
sa de Requiem compensari possunt.
4 Præterea, memoria Sancti, eiusque
virtutum, ac meritorum consideratio
Sa-

Sacerdotis deuotionem in Missa excitat, & adauget.

5 Amplius Missa de Requiem breuior est sepe numero, quam Missa de Sancto, aut de Feria: idcirco Orationes, etiã Missæ breuioris tēporis sunt, & fructus minoris.

6 Ad hæc, Missa de Requiem, cum à Sacerdotibus dicatur frequentius, maiori celeritate, ac minori etiam attentione & deuotione, quam aliæ Missæ, quandoque celebratur.

7 Ex aduerso autem, nouitas officij in Missa de Sancto, aut de Feria, promouet attentionē, & auget Sacerdotis deuotionem, à qua augmentū valoris accidentalis Missæ ex parte operis operantis dependet.

8 Intereffio etiam Sancti, de quo dicitur Missa, prodest animæ in Purgatorio existenti, pro qua celebratur, loco particularium Orationum; quæ in Missa de Requiem reperiuntur.

9 Et magna profectò quidē, & inopportuna animi, ac deuotionis perturbatio euenit Sacerdoti, si postquam Officium de Sancto occurrente recitauit, atque affectu, & meditatione ad Missam de eodem Sancto celebrandam se disposuit: maximè si Sanctus magna solemnitatis sit in Ecclesia, aut in eum Sacerdos particulari deuotione feratur (quamuis à populo solemniter non celebretur, ut frequenter accidere consuevit) cum iam est celebraturus, & interdum etiam cum indumentis sacerdotalibus debiti coloris indutus est; superueniat aliquis, qui Missam de Requiem pro aliquo Defuncto elemosyna exquirat; & ipse Sacerdos priores sacras vestes deponere; & paramenta nigra induere, & Missam de Defunctis dicere cogatur. Licet enim Sacerdos ex caritate, vel obligatione, si subditus est, tunc Missam dicat de Requiem, non mediocriter tamen molestia, ac minori attentione, & deuotione sacrificium offert, quam si Missam de Sancto pro eodem Defuncto dixisset. Et ita, & Sacerdos, & Defunctus aliquam partem fructus Missæ, eam videlicet, quæ ex maiori attentione, & deuotione Sacerdotis, & ex Sancti intercessionem habetur, inaniter amit

tit; cū Defuncto prodesse possit tã Missa de Sancto, quã de Requiem, ut dictū est.

§. I I.

Videtur etiam sensus esse S. Ecclesie, ut Missa respondens Officio occurrenti, possit Pro Defunctis celebrari.

1 Quoniam ritus, & ordo est S. Ecclesie, ut Missæ votiue, aut Particulate dici possint, quando officium non est Duplex: & tunc etiam (quando scilicet officium nō est Duplex) Missa, quantum fieri potest, Officio respondeat. Dicitur enim in Missali Romano in principio Rubricarū generalium: *Missa quotidie dicitur secundum ordinem Officij.* Et in eisdem Rubricis generalibus titulo, De Missis votiuis, numero 3. habetur: *Qua tamen Missa, & omnes aliæ votiue, in Missis priuatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est Duplex, &c.* Et clarius in titulo De Missis Defunctorum, num. 2. statuitur: *Missa autem priuata pro Defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis Duplicibus, & Dominicis diebus.* Et in Rubrica De Missis votiuis, quæ legitur ante Missam votiuiam de S. Trinitate, similiter dicitur: *Sequentes Missa votiua licet pro Sacerdotis deuotione quacumque die dici possint per hebdomadam, quando Festum Duplex non occurrit, hoc tamen passim, nisi rationabili de causa fieri nō debet, sed quoad fieri potest, Missa cum Officio conueniat.* Non est autem exillimandum, quod Ecclesia, quæ pijsissima mater est, Missam pro Defunctis celebrari prohibeat, in Festis Duplicibus, quæ quidem frequenter occurrunt: quare sensus videtur Ecclesie, quod Missa respondens Officio, præcipue Duplici, pro defunctis dici possit.

2 Et ideo licet qui stipendium exhibet pro Missa, petat Missam Defunctorum, eius verba non sunt ita amare intelligenda, ut sic omnino Sacerdos celebrare teneatur, sed cum modo, & moderati. Neque enim preualere debet voluntas Missam petentis ordini, ac ritui Ecclesiastico; sed mentem suam institutioni Ecclesie debet aptare, ut eius petitiō, ac deuotiō sit rationabilis, atque conueniens.

§. III.

§. III.

Videatur insuper, de mente esse Summorum Pontificum; quod Sacerdos pro defunctis Missam respondentem Officio dicere valeat. Nam Gregorius VIII. sanctæ memoriæ, dum priuilegium vniuersale, ac perpetuum pro Defunctis elargitur Altari Cappellæ S. Augustini in Ecclesia S. Jacobi Bononiæ Patrum Ordinis S. Augustini, concedit, vt quoties quicumque Sacerdos siue secularis, siue regulatis, Missam ad dictum Altare pro liberatione vnius animæ in Purgatorio existētis, suo, vel alieno arbitrio celebrauerit, ipsa anima per huiusmodi celebrationem easdem Indulgentias, & peccatorum remissiones consequatur, & ad ipsius liberationem, pro qua celebrabitur, dicta missa operetur, quas cōsequeretur, & opraretur, si prædictus Sacerdos hac de causa Missam ad Altare situm in Ecclesia Sancti Gregorij de Vrbe, ad id deputatum, celebraret. Et fortasse Priuilegia aliorum quoque Altarium pro Defunctis, eiusdem sunt tenoris. At in eiusmodi Priuilegio non præcipitur, vt Missa de Defunctis, siue de Requiem pro anima in Purgatorio existente celebretur; sed absolute indulgetur, quod dicatur Missa: ideo sensus Summorum Pontificum esse videtur, vt tantum valere possit pro Defunctis Missa de Sancto, de Dominica, aut de Feria, quantum ipsa Missa de Requiem.

Hodie mutatus est tenor.

§. IV.

Accedit, quod populus communiter Missam libentius audit respondētem Officio, maxime de Sanctis, quam de Requiem, in qua benedictio populi præsentis præmittitur. Quare ad alluendū magis populum ad Missam audiendam, siue ad eam promouendam, vt maiori voluptate, ac deuotione Sacrificio assistat, pro Defunctis, Missa dici potest de Sancto, aut de Feria.

§. V.

Qvando autem Missa de Sancto, aut de Feria celebratur pro Defunctis, necesse non est, Collectam dicere pro mortuis.

1 Nam applicatio Missæ non fit in Collecta: sed in *Memōto*; vbi Sacerdos valorem Missæ illi applicat, pro quo Sacrificium offert et tenetur: ideo necesse nō est Collectas pro Defunctis adijgere.

2 Præterea Pius V. sanctis memoriæ, in Bulla confirmationis Missalis Romani præcepit in virtute sanctæ obedientiæ (& Concilium Tridentinum *sess. 5. decreto de obseruandis, & vitandis in celebratione Missarum* idem statuerat) vt Sacerdotes, iuxta formam, ritum, & modum eiusdem Missalis celebrent; & nullo modo alijs caeremonijs, & præcibus, quam illis, quæ in eo præscribuntur, vt præsumant. At sepe in Missali Collectæ arbitrio Sacerdotis non permittuntur, præcipue diebus Festis: sed particulares præsignantur, aut vna tantum dicenda est, vt in Duplicibus: ideo tunc non erit dicenda Collecta pro Defuncto, pro quo Missa dicitur.

3 Quod quidem præceptum Pij V. non Prælati tantum imponitur, vt, aliqui velent; sed omnibus Sacerdotibus. Tūm quia Cōcilium Tridentinum loco citato (cui S. Pontifex inherere videtur eisdem verbis vtens) expressè præcipit Episcopis, vt edictis, & pœnis propositis caueāt, ne Sacerdotes, quicumque illi sint, ritus alios, aut alias caeremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probate fuerint. Tūm quia non suppetit ratio, quare sub formali præcepto obligante sub pœna peccati mortalis, præcipiatur Prælati, etiam S. R. E. Cardinalibus, vt Missam ad præscriptum Missalis noui decantent, & legant: ceteris autem Sacerdotibus non Prælati libera relinquatur facultas alijs rationibus, & ritibus ad cuiusque libitum celebrandi.

§. VI.

Verum, qui Missam pro suis Defunctis stipendio petit, nisi viderit Sacerdorem indumentis nigris inductum, & Missam de Requiem, aut saltem Collectam de mortuis non audierit, fortasse non crederet, aut dubitabit, Missam pro suis mortuis sibi celebrari.

Re.

1. Respondetur, eum in hoc falso iudicio grauius errare: non enim presumendum est, Sacerdotem in actu celebrationis nolle promissum suum implere; & vitios, ac mortuos fructu Missæ, quam ex stipendio accepto, & promissione data celebrare debet, velle priuare; & exinde grauisimum peccatum committere, & onere restitutionis subiacere.

2. Præterquam quod si Sacerdos Missam ei, cui promissit, nollet applicare, ipse quidem dicens Missam de Requiem cum Collecta pro pluribus Defunctis, iuxta petitionem Missam stipendio exquirentis, posset nihilominus valorem essentialem Missæ sibi ipsi, aut alteri viuo, aut defuncto in Purgatorio existenti applicare: applicatio enim Sacrificij, vt superius dictum est §. 5. num. 1. non fit in orationibus Missæ de Requiem; sed in *Memento*. Quapropter si Missam petens Sacerdoti non subdit aut si Sacerdos velit eum decipere (cuius fides in suspicionem adduci non debet) parum quidem proderit, si Sacerdotem sacris vestibus nigri coloris indotum viderit, aut Missam de Requiem ab eo audierit.

§. V I I.

Verum tamen est, quod si Sacerdos maiori deuotione non afficitur in dicenda Missa de Sancto, aut de Feria, quam de Requiem, dicere debet Missam de Requiem pro Defunctis, quibus obligatur; dum modo festum non sit Duplex, aut dies Dominicus, cum excepiantur in Rubrica Missalis, superius posita §. 2. num. 1.

1. Quoniam Orationes Ecclesiæ, que ordinantur in Missa de Requiem, magis directè petunt, & obtinere possunt desideratum effectum liberationis animarum è Purgatorio: ideo tunc ceteris paribus vtilior est Missa de Requiem.

2. Et præterea Orationes, & alia, que in Missa Defunctorum dicuntur, miserrimas animarum in Purgatorio existentium clarius demonstrant: & circumstantes ad orandum etiam pro Defunctis magis excitare possunt.

3. Hinc in die obitus, maximè præsentem

corpore Defuncti; aut in die tertio, vel septimo, vel trigesimo, aut in Anniuersario solemnè vtilior poterit esse Missa de Requiem, quam alia.

4. Quamuis eiusmodi vtilitates facile compensari possint in Missa occurrente de Feria, aut de Sancto, ex maiori Sacerdotis deuotione, aut ex intercessione Sancti, de quo celebratur: vt dictum est §. 1. num. 3. & seq.

§. V I I I.

Si vero Sacerdos, stipendio accepto, expresse Missam de Requiem promissit, eam quidem dicere debet.

1. Nam tenetur implere promissum, ne virtus fidelitatis violetur: alioquin grauisimè peccaret: præcipuè si promissum iuramento esset obfirmatum, vt euenit in legatis, aut alijs obligationibus Missarum in forma stipulationis acceptis.

2. At Sacerdos promittere deberet, se dicturum Missam pro Defunctis eo modo, quo magis potest, eis prodesse, aut Missa de Requiem, aut Missa de Feria, aut de Sancto, iuxta maiorem suam dispositionem, ac deuotionem.

3. Et populus pariter pro suis Defunctis à Sacerdotibus eas Missas exquirere deberet, que maiori beneficio illis esse possunt, siue de Sancto, siue de Requiem; vt multi iam piè quidem consueuerunt: Maximè autem vtilissimum esset, pro Defuncto Missam de illo Sancto occurrente procurare, quem ipse Defunctus, dum viueret, Patronum sibi delegerat; vel cui animo erat propèrior: & eò amplius si ille qui Missam petit, eundem Sanctum sibi Aduocatam selegit: sic enim, præter valorem Sacrificij, qui essentialiter in omnibus Missis æqualis est, valor eiusdem Missæ accidentaliter ex parte operis operantis, ex deuotione Sacerdotis, & Missam procurantis, & ex intercessione Sancti, cui Defunctus inter viuos propensius obsequabatur, augeri potest.

4. Et hac de re passim admonendi, & instruendi sunt populi, ne scandalo afficiantur, dum petentes Missam pro mortuis, non audiunt Missam de Requiem:

&

& ne Sacerdotibus nimiam in olesti sint
in exquisendis quotidie Missis de
functis.

§. IX.

VNiuerſam hanc doctrinam ſuſtinet,
ac docent omnes Doctores, & gra-
uiſſimi quidem, qui nunc citantur: quos
diligenter, & ſingillatim in fonte vide-
re, & animaduertere libuit.

1. *D. Thomas Aquinas* 4. diſt. 45. queſt.
2. art. 3. queſt. ſunc. 1. ad 5. & in addit. 3.
part. queſt. 71. art. 9. ad 5. *S. Antonin.*
part. 1. tit. 10. cap. 2. §. 3. *Hoſtienſis* lib. 3.
de Conſecr. Eccleſ. vel. Altar. nu. 25. *Sum-
ma Angelica* verbo *Miſſa* num. 33. & 34.
Roſella §. 21. *Piſanella* num. 14. *Armi-
la* num. 3. *Tabienna* num. 49. *Silueſtrina*
Miſſa 1. §. 4. & melius verbo *Suffragium*
§. 5. *Coronapar.* 3. de ſacriſ. *Miſſ.* tit. *Se-
quitur Canon Miſſe* num. 18. *Dominicus*
Sot. 4. diſt. 45. queſt. 2. art. 3. cont. 1. ad ſe-
nem. *Antonius Hencala* opuſc. de valore
Miſſe art. 17. propoſit. 2. *S. Carolus Bor-
romeus Aſt.* Eccl. *Mediol.* par. 1. *Concil.*
provinc. 6. tit. *Qua ad Miſſam pertinent.*
Martinus Nauarrus tom. 2. conſil. lib.
5. de poenit. & remiſſ. conſ. 37. num. 2. *Fran-
ciſcus Victoria* de Euchar. num. 95. *Beia*
part. 1. reſp. caſu 23. *Gravius* deciſ. aur.
part. 2. lib. 3. cap. 15. num. 41. & tom. 1. con-
ſil. lib. 3. de celebr. *Miſſ.* conſ. 3. *Henri-
queſ* lib. 9. de *Miſſa* cap. 23. num. 6. *Rod-
ericus* tom. 1. queſt. regular. queſt. 43.
art. 8. & 10. & *Sum.* part. 1. cap. 147. nu. 9.
& part. 4. cap. 51. num. 1. *Miranda* ma-
nual. prelat. tom. 1. queſt. 41. art. 21. conc.
1. & 2. *Azorius* inſtit. moral. part. 1. libr.
10. cap. 32. q. 5. *Emanuel Sa* aphoriſ. ver-
bo *Miſſa* num. 48. *Suarez* tom. 3. in 3. part.
diſp. 83. ſect. 3. verſu. *In quo eſt magna*,
Bernardus Parentinus in *Lilio Miſſe*
§. de collat. gloriæ pro mortuis queſt. 9.
Bartholomæus ab Anzeliſ dial. 5. de
Miſſa §. 740. & 806. *Timotheus* de ſa-
criſ. *Miſſ.* tract. 3. q. 43. *Benzonus* ſpec.
Episcop. & *Curar.* lib. 1. diſp. 2. queſt. 2.
verſu. *Mutuantur.* *Simon Maiolus* de
irregular. lib. 3. cap. 24. in ſine. *Conſalvus*

Durantus in not. ad lib. 4. cap. 9. reuelat.
S. Birgit. *Iulius Caluus* *Synax.* libr. 3. q.
36. num. 7. *Sabaſtianus Catanus* *ſummul.*
verbo *Miſſa*, verſu. obligatus. *Alphon-
ſus Madrigal.* tract. de *Sacerd.* conſid.
vlt. *Marchus Antonius Genuenſis* ma-
nual. paſt. cap. 72. num. 6. *Fuſcus* de regim.
Eccleſ. lib. 1. cap. 20. nu. 36. *Antonius Lit-
teratus* ſum. compend. part. 5. cap. 2. num. 6.
Antonius Manchettus flor. aur. pag. 43.
Poſſeuinus de offic. curat. cap. 14. num. 13.
Angelus Hallenſis roſar. *Sacerd.* de ſuf-
frag. num. 98. *Petrus Ledemaſum.* part. 1.
de ſacram. Euchar. cap. 17. conc. 7. *Hie-
ronymus Gratianus* de ſuffrag. anim.
Purg. cap. 4. *Reginaldus* lib. 29. num. 208.
Bonacina de *Sacramentis* diſp. 4. queſt.
vlt. punc. 7. §. 3. num. 4. *Antonius Naldus*
ſum. verbo *Miſſa*, num. 21. *Molſeſius.* ſum.
tom. 1. tract. 3. cap. 15. num. 26. *Fillucius*
moral. queſt. tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 154.
Homobonus de exam. *Eccleſ.* par. 1. tract.
4. capit. 14. queſt. 126. *Martinus Road*
ſtatu animar. in *Purgat.* cap. 11. *Barbo-
ſa* de off. & poteſt. *Episc.* part. 2. allegat.
24. num. 3. *Ioannes de la Cruz* direct. con-
ſcien. de ſacriſ. *Miſſ.* q. 4. dub. 2. conc. 1. &
2. *Alphonſus Vega* ſum. part. 2. cap. 28. de
Miſſis caſu 14. *Henricus Villalouus* ſum.
Theol. mor. & *Canon.* tom. 1. tract. 8. diffi-
cult. 31. num. 6.

2. Doctores hiſ, eorumque ſententiæ,
& doctrina ſauent ſacri Canones. c. Et
hoc de conſecr. diſt. 1. c. Quidam. c. c.
Cum creatura. de celebr. *Miſſar.*

3. Et pro doctrina §. 7. ſunt *Angelica*
verbo *Miſſa* num. 34. *Toletus* inſtruct. *Sa-
cerd.* lib. .cap. 8. num. 2. *Philarchus* de off.
Sacerd. tom. 1. lib. 2. cap. 11. *Io. Baptiſta*
Scortia de ſacriſ. *Miſſ.* lib. 2. cap. 17. nu. 3.
& 4. *Antonius Fernandez* exam. *Theol.*
moral. part. 3. cap. 5. §. 3. num. 5. & etiam
Henriqueſ loco ſupra citato.

4. Et pro doctrina §. 8. num. 1. ſunt *Ange-
lica* ubi ſupr. *Ricard.* 4. diſt. 38. princip. 3.
queſt. 3. *Valentia* tom. 3. in ſum. *D. Tho.*
diſp. 6. q. 6. *Petrus Aragon.* de iuſt. & iur.
q. 88. de vot. art. 3. de oblig. ſimpl. promiſſ.
Scortia loco citato num. 4.